

*Tu es Petrus, et tibi dabo claves  
regni cælorum.*

✠ Lécctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

16, 13-19

In illo témpore:

<sup>13</sup> Venit Iesus in partes Cæsaréæ Philíppi  
et interrogábat discípulos suos dicens:  
«Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis?».

<sup>14</sup> At illi dixérunt:  
«Alii Ioánnem Baptístam,  
álii autem Elíam,  
álii vero Ieremíam,  
aut unum ex prophétis».

<sup>15</sup> Dicit illis:  
«Vos autem quem me esse dícitis?».

<sup>16</sup> Respóndens Simon Petrus dixit:  
«Tu es Christus, Fílius Dei vivi».

<sup>17</sup> Respóndens autem Iesus dixit ei:  
«Beátus es, Simon Bariona,  
quia caro et sanguis non revelávit tibi,  
sed Pater meus, qui in cælis est.

<sup>18</sup> Et ego dico tibi:  
Tu es Petrus,  
et super hanc petram ædificábo Ecclésiám meam;  
et portæ ínferi non prævalébunt advérsus eam.

<sup>19</sup> Tibi dabo claves regni cælórum;  
et quodcúmque ligáveris super terram,  
erit ligátum in cælis,  
et quodcúmque sólveris super terram,  
erit solútum in cælis».

Verbum Dómini.